

Oxoniensi academia. Luitgerus episcopus Traiectensis inferioris scripsit vitam Gregorii secundi episcopi. Item vitam Luitgeri. Item urgete illum alterum Birkmannum, qui Ivonis decreta imprimit, ut et decretales integras, quas in Iuliacensi ducatu novit, excudat. Vellem vos rescire posse per nuntium commodum, quid praestiterit Fabricius Durensis tertiae classis professor Dysseldorpie in conferendis epistolis Cassiodori. Sollicitate parochum in Betburg, concedat librum de origine monachorum describendum. Quae so proximis nostris (? vestris) scribite, quis vitam Bonifacii conscripserit, quomodo incipiat liber. Nam ego hic habeo vitam Bonifatii, nescio an eadem sit cum ea quam vos habetis. Indicate Birkmanno, num epistolas una cum vita Bonifacii velit imprimere. Ego ex Augusta mittam, si certior fiam. Quale velit privilegium impetrari, mihi significet per literas vestras; polliceor operam meam, modo in excudendis antiquis authoribus sedulo elaboret. Chyrographum meum, quod apud Carthusianos reliqueram et Genneperus vobis reddidit aut reddere debet, proximis vestris, quas ad me dabit, includite. Scribite saepe et pluribus, ad comitia mittite Augustam et coniungite quaedam subinde: si tabellariorum vobis fiat facultas. Salutate amicos et valete in Domino.

Dat. Treviris 28. Ianuarii 55.

Scribite proxime, num extant Eutropii libri 26, item num Autpertus super Apocalypsim, item num Smaragdus super psalmos 26 quas παραφρασεων¹.

1) Zur Charakterisierung des Verkehrs zwischen den in Rede stehenden Männern theile ich noch einen Brief der Kölner an Niedpruck mit: 'S. P. Vir clarissime, cum iam absoluta essent prelo Birkmannorum B. Vigilii martyris et episcopi Tridentini opera, una cum commentario Cassandri, quem his diebus tumultuarie conguessit, non potui non ilico exemplar ex nundinis Francofordensibus per Birkmannos vobis transmittendum dare. Nam te adhuc in comitiis Augustanis fore non dubitavi. Casander ante aliquot dies valetudinis caussa profectus est Duisburgum, assumpto secum iuvene illo, qui hactenus tibi quae volebas ex Cassandri lucubrationibus describit et alia nonnulla. Is usque ad ferias paschales ea de causa apud nos manet, inde Argentinum profecturus nos vero in patriam, parentes et amicos invisuri, verum sub festum b. Ioannis Baptistae Coloniam revertemur. Haec pauca mihi licet occupatissimo scribere visum fuit, quippe qui cum tota suppellectile migravimus in aedes doctoris Olschlager, cancellarii illustrissimi ducis Cliviae sitas apud S. Columbam up der brugge Coloniae et iam ad iter me comparans Duisburgum versus. Itaque si quid ad nos interim voles, id primum Coloniam vel potius Antwerpiam ad pinguem gallinam mittes nisi mavis ad aulam Caesareae Maiestatis, ut tradatur doctori Cornelio Baradorp Caesareae Maiest. medico, affini meo, ut inde Gandavum ad aedes patris mei Magistri Ioannis Wouters consiliarii in curia Flandriae perferatur.

Coloniae 26. Martii anni 1555.

Tuus Cornelius Gvaltherus.